



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 11. Sacramenta novæ legis conferunt-ne majorem gratiam illa suscipientibus majore cum dispositione?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

dita sunt Sacramenta, ad nos ipsi Ecclesia incorporandos: requiritur quidem in adultis dispositio ut dicitur in Missa: QUORUM FIDES TIBI COGNITA EST ET NOVA DEVOTIO: Verum efficacia non istis dispositionibus tribui solet, sed Deo, & hoc est quod dicitur ex opere operato.

Quest. 10. Videtur quod Circumcisio contulerit gratiam Ex opere operato, cum plerumque illam suscipientes elicere non possent actus fidei, & aliarum virtutum, quibus gratia potuisset illis conferri intuitu meritorum, quod Theologi vocant conferre gratiam Ex opere operantis?

Resp. Divus Thomas huic difficultati sic D. Th. 3. p. respondet: Dicendum quod in Circumcisione q. 70. art. 4. conferebatur gratia, aliter tamen quam in corp.

Baptismo: nam in Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi, quam habet in quantum est instrumentum Passionis Christi jam perfecta. In Circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei Passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio. Ita scilicet quod homo qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem; vel adultus pro se, vel alius pro parvulis; unde & Apostolus dicit, Rom. 4. quod Abraham accepit signum Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei; quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex circumcissione significante.

Quest. 11. Sacramenta novæ legis conferunt-ne majorem gratiam illa suscipientibus majore cum dispositione?

Resp. Utrique plus gratiæ conferunt magis dispositis, non solum gratiæ, quæ datur intuitu solius meriti, & solius dispositionis recipientium, quam Theologi vocant Ex opere operantis,

De Sacramentis. Cap. VII. 49

operantis, sed etiam illius gratia, quam Sacramenta conferunt ex virtute recepta à Passione Christi, quam Theologi vocant *Ex opere operato*; ut enim ait Divus Thomas, *Quamvis Baptismus ut Passio Christi qua in eo operatur, quantum est de se aequalem respectum ad omnes habeat: quia tamen quidam ad Baptismum cum majori preparatione fidei & devotionis accedunt aliis, ideo quidam aliis majorem gratiam consequuntur.* Hoc autem intelligi debet de gratia quam Theologi vocant *opus operatum*, quæ provenit ex virtute quæ est in Sacramentis per Passionem Christi; cum ex Divo Thoma hæc virtus nobis communicetur juxta dispositionem, cum qua recipimus Sacramenta.

Quest. 12. Licet-ne aliquid exigere pro administratione Sacramentorum?

*Resp. Illud prohibitum est omni Jure divino & humano, veraque est simonia, quam Dominus noster Jesus-Christus expressè prohibuit, cum dixit Ministris suis, Grati accipistis, gratis date. Hinc Concilium Triburienſe relatum in Canone, ait: Dictum est solere in quibusdam locis pro perceptione Chris-
& Communionem. Hoc simoniaca hæresis semen detestata est sancta Synodus, & anathematizavit, & ut de cætero nec pro ordinatione, nec pro Chrismate, vel Baptismo, vel pro Balsamo, nec pro sepultura vel Communionem quidpiam exigatur, statuit: sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.*

Concilium Generale Lateranense relatum in Canone, ait: *Cum in Ecclesia corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis*

Tomus III.

C

D. Tho. 4.
sent. dist. 4.
q. 2. art. 3.
quæstiuncula
2. in resp. ad
2.

Matth. 10.
v. 8.

Can. Dictum.
1. q. 1.

Can. Cum in
Ecclesie. De
Simonia.